



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.22. Anastasius Antiochia pellitur. Gregorius Patriarcha.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

*re vultis, date mihi cunctos captivos, quos abduxistis, ut causam pro vobis orandi habeam.* Omnes igitur, quos ceperant, cum S. Viro liberos dimiserunt. In Provincia Valeriana Longobardi ex una arbore duos Monachos suspenderunt, quos post mortem cantantes audiri ipsi latrones putarunt. In alia Italiae Regione Soranus Abbas captis, qui deinde manus Barbarorum effugerant, omnia vestimenta, & annonam, quam ad usum sui Monasterii servabat, imo & horti domestici olera, dederat. Supervenere Longobardi, pecuniam ab ipso exigentes, & dicentem nullam sibi esse, necarunt.

Sæculum VI.  
A. C. 573.

IV. c. 21.

c. 22.

§. XXII.

*Anastasius Antiochia pellitur. Gregorius Patriarcha.*

Longobardis Italiam misere devastantibus, Justinus Imperator totum se voluptatibus dabat, turpe affectuum depravatorum mancipium. Anastasium Patriarcham Antiochenum Sede sua eiecit, causatus, quod Bona Ecclesiae dissiparet; revera autem quia virum ode- rat. Nam, dum Anastasius Patriarcha electus est, Justino pecuniam petenti, ut ipsi consensum Justiniani Imperatoris obtineret, dare recusaverat. Justinus deinde Imperio potitus non nullis referenti-

Evagr. 5. c. 5

E 2

bus

Sæculum VI. bus audierat, Anastasium interroganti-  
A. C. 573. bus, cur Ecclesiæ Bona prodigeret, re-  
 spondisse: *Quia timeo, ne Justinus, ge-*  
*neris humani pestis, ea sibi auferat.* Tan-  
 dem Anastasius in Responso ad Episto-  
 lam Synodicam Joannis novi Patriarchæ  
 Alexandrini reprehenderat ipsum Joan-  
 nem Alexandrinum, & Joannem Constans-  
 tinopolitanum consecrantem, qui in Au-  
 la magna Auctoritate valens, sine dubio  
 ea usus est, ut Imperatorem ad depo-  
 nendum Anastasium impelleret. Apol-  
 linaris Patriarcha Alexandrinus anno cir-  
 citer 570. obierat, Pontificatus sui anno  
 19. eique Joannes successerat.

*Niceph. Chr.*  
*Evagr. 5.*  
*c. 16.*

*Id. c. 6.*

**Gregorius**  
**Antiochenus**

In locum Anastasii Gregorius Patriar-  
 cha Antiochenus ordinatus est. Is in  
 Monasterio Byzantinorum haud procul  
 Jerosolyma institutis Monasticis a puero  
 exercitatus, tantum profecit, ut vix pri-  
 ma lanugine malas ornante dignus & a-  
 ptus haberetur, qui illi Monasterio præ-  
 esset. Postea Monasterium *Pbaran* re-  
 xit, rursusque in Abbatem Montis *Sina*  
 Justinii Imperatoris jussu assumptus est.  
 Ibi maximis periculis expositus etiam A-  
 rabes illius Deserti locum obsidentes for-  
 titer sustinuit, & industria mirabili præ-  
 stitit, ut illud Monasterium exinde tran-  
 quilla pace frueretur. Ex eo Cœnobio  
 evocatus Sedi Antiochenæ impositus est.  
 Summa erat viri prudentia, constantia im-  
 mobilis,

mobilis, & singularis in rebus agendis solertia, ita ut quæcunque moliretur, feliciter procederent. Cum esset munificentissimus in publicum prodeuntem magna hominum multitudo comitabatur. Omnibus dotibus, quæ aliorum amorem conciliare solent, præditum, cuncti conspicerere & audire cupiebant. Quamvis vehemens a natura accepisset ingenium, illud tamen mansuetudo, & modestia temperabat. Injuriarum immemor, & donum lacrymarum habens, peccantibus paterne condolebat.

Sæculum VI.  
A. C. 573.

Prat. Spir.  
c. 140.

Evagr. 5.

Anno Episcopatus ipsius primo Majoris Armeniæ Incolæ, qui tunc Persarmeni dicebantur, Persarum, quorum subditi erant, ex quo Philippus Imperator eam Regionem Sapor addixerat, jugum excusserunt. Cum Christiani essent, & a Persis, præcipue Religionis causa, pessime haberentur, missis clam ad Justinum Imperatorem Legatis, rogabant, ut se subditos fideles vellet recipere, quo liberius Deo servire possent. Conditione a Justino accepta, & pactis per litteras initis, Armeni suos Præfectos interficiunt, seque Romanorum Socios proclamant. Cosroi Persarum Regi vindictam postulanti Justinus respondit; præstitutum Pacis tempus effluxisse, atque æquitatem petere, ut Christiani Christianos tempore Belli auxilium flagitantes non destituerant.

E 3

tuerant.

Sæculum VI. tuerant. Itaque anno Justinii septimo,  
A.C. 573. Jesu Christi 572. Pax turbata. Interim

*Theoph. p.*  
206.

c. 9.

Justinus cum de Bello cogitare debuisset, omne tempus animumque voluptatibus dabat. Ignarum, quid exercitus suus ageret, Gregorius Patriarcha datis litteris edocuit, nullam spem superesse, ut Romani, qui urbem Nisibim obsidione cinxerant, eam ad deditiōem compellere possent. Episcopus Nisibiensis amicitia junctus Gregorio, & acceptis ab eo Beneficiis captus, Persarum quibus subditus erat, in Christianos crudelitatem averfabatur; hinc cupiens, ut Civitas sua Romanorum Ditioni adjiceretur, quæcunque hostes moliebantur, sedulo & prompte Gregorio indicabat. At Justinus Imperator, si tristitia afferebantur, nullam adhibebat nunciis fidem, maximo Provinciarum Romanarum malo, quas Persæ flammis & cædibus, nemine arma opponente, depopulabantur. Dum ad urbem Antiochiam pervenerunt, fugientibus omnibus nemo, qui mœnia tueretur, remansit. Fugit quoque Patriarcha Ecclesiæ Thesaurus auferens. Tandem Justinum supervenientes tabelarii, cum de clade amplius dubitare non posset, ita perculerunt, ut a sanamente dimoveretur.

c. II.

§. XXXIII.